

1571

*Franciscus
Francavil-
laruinis
obruitur.*

opprimerent, inter quos Franciscus Francavilla praefectus fuit. Verum cum hostes assidua verberatione iter sibi facere ad invadendos nostros non possent, ligonibus, & cuniculis aggressi, adeo ad fossas accesserant, ut vix dimidio lapidis jactu a labro distarent; cum nostri adhuc rectam viam tutarentur, saepiusque die noctuque repente e caveis magno numero exeuntium impetum sustinerent. In qua via cum tandem propter frequentes assultus, vinearum propinquitatem, hostium multitudinem, tuto non consisterent; novisque aggeribus adeo se se Turcae inferrent, ut vix dimidiata hasta a nostris sejungerentur; atque in opus nocte, praevaleis adhibitis custodiis, incumberent: labrum deserere propugnatores coguntur. Eopotiti Turcae, hinc atque inde egesta humo, illius muro propugnare usi, sclopporum vi ita milites affligebant, ut nemo in fossa manere incolumis posset, licet ex iis locis, in quibus alveolus excavata fossa erat, per aliquot dies dimicaretur, certissimisque ictibus complures, sed non absque nostrorum interitu, caderentur, inter quos Sigismundus Gazoldi Comes exitit, qui adolescens peditum praefecturam gerens, cum uni e suis militibus laboranti opem ferret, scloppo crus vulneratus, haud multos post dies interiit.

*Tamassien-
ses labrum
fossae deser-
runt.*

*Sigismundi
Gazoldi co-
mitis cae-
des.*

*Laurentius
Theupolus.*

Verumtamen acrius in dies adurgens hostis, verberationem continuare, disjicere aggeres, defensiones eripere adnitebatur. Nostri contra pro rerum conditione, quacumque poterant, opem ferre, omnibus in locis praesto esse. Bragadenus una cum Baleonio modo huc, modo illuc discursare, omnia ad urbem tuendam opportuna diligenter curare, a moenibus nunquam discedere. Bragadenus in Andreutii, Baleonius in Divae Nappae, Laurentius Theupolus, Paphi praefectus, vir aetate atque auctoritate gravis, qui belli initio in urbem venerat, in Divae Barbarae hemicycliis sedes statuunt. Aggeres ac munitiones die ab hoste dirutae, nocte farciuntur. In vineas, ac tormentorum fornices, quo milites libratoresque peterentur afflue, glandium imber a Turcis effunditur. Sed cum faxorum ac rudium fragminibus ex tormentorum dispendio emicantium haud dubie nostri internecioni objicerentur, alveolum deserre coguntur. Tum, quo propius moenibus succederent, Turcae humo fossas opplebant; parvis extructis aggeribus, se a tor-

men-